

Bonus vir clemens et foenerans : dispersabit verba sua in iudicio.

Qua in <sup>1</sup> æternum non commovebitur : in memoria sempiterna erit justus.

Ab auditu malo non timebit : paratum cor ejus confidens in Domino.

Firmum cor ejus non timebit : donec aspiciat in hostibus suis

Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus permanet in æternum : cornu ejus exaltabitur in gloria.

Impius videbit, et irascetur ; dentibus suis frendet et tabescet : desiderium impiorum peribit.

## SALMO CXII.

Laudate servi Dominum : laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum : a modo et usque in <sup>2</sup> æternum.

Ab ortu solis usque ad occasum ejus : laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus : super caelos gloria ejus.

Quis ut Dominus Deus noster : qui in ex-

celsis habitans, humilia respicit in caelo et in terra.

Suscitans de <sup>3</sup> terra inopem, et de stercore elevat pauperem.

Ut eum sedere faciat cum principibus : cum principibus populi sui.

Qui collocat sterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Alleluia.

## SALMO CXIII.

Quum egrederetur Israël de Ægypto : domus Jacob de populo barbaro.

<sup>4</sup> Factus est Judas in sanctificationem ejus : Israël potestas illius.

Mare vidit et fugit : Jordanis conversus est retrorsum.

Montes subsilierunt quasi arietes : colles quasi filii <sup>5</sup> gregis.

Quid tibi est mare quòd fugisti : Jordanis conversus es retrorsum ?

Montes subsultastis quasi arietes : colles quasi filii <sup>6</sup> gregis.

A facie Domini contremiscit terra : à facie Dei Jacob.

Qui convertit petram in paludes aquarum : silicem in fontes aquarum.

NON NOBIS, DOMINE, NON NOBIS ; sed nomini tuo da gloriam : propter misericordiam tuam, et veritatem tuam.

<sup>7</sup> Ne dicant gentes : Ubi est Deus eorum ?

Deus autem noster in caelo : universa quæ voluit fecit.

Idola <sup>8</sup> gentium argentum et aurum ; opus manuum hominum.

Os habent, et non loquentur : oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient : nasum habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt : pedes habent, et non ambulabunt : non sonabunt in guttore suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.

Israël confidit in Domino : auxiliator et protector eorum est.

Domus Aaron confidit in Domino : auxiliator et protector eorum est.

Timentes Dominum confidunt in Domino : auxiliator et protector eorum est.

Dominus recordatus nostri ; benedicet ; benedicet domui Israël : benedicet domui Aaron.

Benedicet timentibus Dominum : parvis et magnis.

Addat Dominus super vos : super vos et super filios vestros.

Benedicti vos à Domino : qui fecit caelum et terram.

Caelum caelorum Domino : terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt Dominum : nec omnes qui descendunt in silentium.

Sed nos benedicimus Domino : a modo et usque in æternum. Alleluia.

## SALMO CXIV.

Dilexi quoniam <sup>9</sup> exaudiet Dominus vocem deprecationis meæ.

1 sæculum — 2 sæculum — 3 pulvere — 4 Facta est Judæa — 5 ovium — 6 ovium — 7 Quare — 8 eorum — 9 exaudies Domine

Circumdederunt me funes mortis, et mitiones inferni invenerunt me.

Angustiam et dolorem reperi : et nomén Domini invocabo :

Obsecro Domine <sup>1</sup> salva animam meam : clemens Dominus, et justus : et Deus noster <sup>2</sup> misericors.

Custodit parvulos Dominus : attenuatus sum, et salvavit me.

Revertere anima mea in requiem tuam : quia Dominus reddet tibi.

Quia eruet animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos ab offensa.

Deambulabo coram Domino, in terris viventium.

## SALMO CXV.

Credidi <sup>3</sup> propter quod loquutus sum : ego allictus sum nimis.

Ego dixi in stupore meo, omnis homo <sup>4</sup> mendacium.

Quid reddam Domino, pro omnibus quæ tribuit mihi.

Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam, coram omni populo ejus.

<sup>5</sup> Gloriosa in conspectu Domini, mors <sup>6</sup> sanctorum ejus.

Obsecro Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus filius ancillæ tuæ.

Dissolvisti vincula mea : tibi immolabo hostiam <sup>7</sup> laudis, et in nomine Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam, in conspectu omnis populi ejus.

In atris domus Domini, in medio tui Jerusalem. Alleluia.

## SALMO CXVI.

Laudate Dominum omnes gentes : collaudate eum universi <sup>8</sup> populi.

Quia confortata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini in æternum. Alleluia.

## SALMO CXVII.

Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in <sup>9</sup> æternum misericordia ejus.

Dicat <sup>10</sup> nunc Israël : quoniam in <sup>11</sup> æternum misericordia ejus.

Dicat <sup>12</sup> nunc domus Aaron ; quoniam in <sup>13</sup> æternum misericordia ejus.

Dicant <sup>14</sup> nunc qui timent Dominum : quoniam in <sup>15</sup> æternum misericordia ejus.

Quum tribularer invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus.

Dominus meus non timebo, quid faciat mihi homo.

Dominus mihi <sup>16</sup> auxiliator, et ego <sup>17</sup> despiciam odientes me.

Melius est <sup>18</sup> sperare in Domino, quàm sperare in homine.

Melius est <sup>19</sup> sperare in Domino, quàm sperare in principibus.

Omnes gentes circumdederunt me ; in nomine Domini : quia <sup>20</sup> ultus sum eas.

Circumdederunt me, et obsederunt me : sed in nomine Domini, quia <sup>21</sup> ultus sum eas.

Circumdederunt me quasi apes : exstinctæ

sunt quasi ignis spinarum in nomine Domini, quia <sup>22</sup> ultus sum in eas.

Impulsus pellebar ut caderem, et Dominus <sup>23</sup> sustentavit me.

Fortitudo mea, et laus mea Dominus : et factus est mihi in salutem.

Vox laudis, et salutis in tabernaculis justorum.

Dextera Domini fecit <sup>24</sup> fortitudinem : dextera Domini excelsa, dextera Domini fecit <sup>25</sup> fortitudinem.

Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.

<sup>26</sup> Corripiens arguit me Dominus, et morti non tradidit me.

Aperite mihi portas justitiæ : ingressus in eas confitebor Domino.

Hæc porta Domini : justi intrabunt in eam.

Confitebor tibi quoniam exaudivisti me, et factus es mihi in salutem.

Lapidem quem reprobaverunt ædificantes : factus est in caput anguli.

A domino factum est istud, et hoc est mirabile in oculis nostris.

1 eripe — 2 plus — 3 quia — 4 mentitur — 5 Pretiosa in oculis Domini — 6 misericordiam — 7 confessionis — 8 plebes — 9 sæculum — 10 obsecro — 11 sæculum — 12 obsecro — 13 sæculum — 14 obsecro — 15 sæculum — 16 inter auxiliares — 17 aspiciam — 18 confidere — 19 confidere — 20 contrivi eas — 21 contrivi eas — 22 contrivi eas — 23 auxiliatus est mihi — 24 virtutem — 25 virtutem — 26 Castigans castigavit



